



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XIII. Sacerdos post perpetratum homicidium quomodo potest in ordine
sustineri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

baculum percuteret, quasi victo eo cuius baculus percussus esset, vteretur pro equo. Sed praefati clerici equitandi licentia non vtentes, sola iactatione contenti sunt: vt dum ad baculos suos alacrius concurrerent, laborem itineris non sentirent. Quidam autem laicus, sicut praedictus diaconus asserit, dum baculum praedicti diaconi percussit, incaute in eum equitaturus infiliit, & sic a falce ipsius diaconi, qua erat accinctus, mortale vulnus accepit, de quo post dies octo expirauit. Inde est quod commonemus fraternitatem tuam atque mandamus, quatenus eundem diaconum sine licentia summi pontificis ad superiorem gradum ascendere, vel in diaconatus officio nullo vnquam tempore ministrare permittas, sed cum dispensatione in subdiaconatus officio ministrare patiaris.

C A P. XIII. *Idem* Exoniensi episcopo.*

Presbyterum etiam istum in homicidii crimine lapsum, Pars capituli, Tanta est vis. annis duodecim graui poenitentia afflictum, si ita est, tibi remittimus absolutum in Dei nomine, suoque restitutum sacerdotio, non tam considerantes spatium & mensuram temporis, quam poenam doloris. Ne tamen cuiilibet imprudenti videatur iniquum, eum sacris altaribus restitutum, discat hoc a sanctis patribus confirmatum. Vnde Callistus papa: Errant, qui putant, post dignam poenitentiam, sacerdotem lapsum non posse reparari, & ministrare posse, si a malis abstineat.

C A P. XIV. *Idem.*

Lator praesentium nobis viua voce proposuit, quod cum quadam die casu quodam cum clerico luderet, contigit quod ille proiecit illum ad terram, & cultellus quem ad latus habebat, in alterum incidit, & fortuito vulneratus occubuit. Eundem igitur ad vos duximus remittendum, discretioni vestrae mandantes, quod rei veritate comperta, si ita res se habuit, & alia iusta causa non impedit, praedictum D. permittatis libere ad sacros ordines promoueri.

C A P. XV. *Item Eugenius papa primus Sarensi episcopo.*

Presbyterum, cuius duos digitos cum medietate palmae
Concil. Tom. 27. Mmm